

duplo triplove longioribus; spicis femineis superne androgynis. Hujus formæ sunt: a) *campestris* spicis femineis binis, masculisque binis, aut femineis ternis, mascula unica; culmo crassiusculo, semipedali vel amplius. Hab. in pratis et campis graminosis subhumidis ubique. b) *lutescens* foliis lutescentibus, latiusculis, spicis femineis binis oblongis. Hab. in pratis uliginosis et juxta rivulos præsertim in Lapponia. Quia mollior, bonum pabulum præbet. a et b nunquam cæspites formare videntur, sed separatim crescunt. c) *cæspiticia* culmo foliisque elongatis laxioribus; spicis femineis subbinis. Squamis aterrimis. Hab. in omnibus paludibus uliginosis, ubi cæspites pedales vel altiores facit. d) *nardifolia* culmo foliisque filiformibus longissimis. Hab. in umbrosis occultis Lapponiæ etc. Has formas observandas putavi, quia non minimi sunt in oeconomia momenti. Omnes ad varietatem β . pertinentes formæ, spicis androgynis, bracteis foliaceis, culmoque foliis longis prædito dignoscuntur, quamquam extremæ ad *strictam*, *acutam* et *saxatilem* adeo aproximantur, ut determinatu interdum valde sit difficile, utrum hujus an alterius sint individua.

Carex stricta, dignoscitur præcipue capsulis dense imbricatis adpressis, utrinque compressis et nervosis.